

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2019-2020

À rendre pour le vendredi 1<sup>er</sup> mai 2020, midi

### Version confinée n°7 : cellule de crise

*La courtisane Philocomasie, séquestrée par un soldat vantard, a été surprise par un esclave de ce dernier en train d'embrasser son amant Pleusiclès. Comment faire pour échapper aux reprèsailles du soldat et faire que « ce qui a été vu n'ait pas été vu » ? L'esclave Palaestrio et le vieillard Périplocomène ont une nuit pour élaborer un stratagème et une ligne de défense... Longueur LC : intégralité. Longueur LM : à partir de « paulisper ».*

**[Palaestrio.** Siquidem centiens hic uisa sit, tamen infitias eat.

Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,  
confidentiam, confirmatam, fraudulentiam. [...]

Domi habet animum falsiloquom, falsificum, falsiurium,  
domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.

Nam mulier holitori numquam supplicat, si quast mala :  
domi habet hortum et condimenta ad omnis mores maleficos.]

[...] Paulisper tace,

dum ego mihi consilia in animum conuoco et dum consulo  
quid agam, quem dolum doloso contra conseruo parem,  
qui illam hic uidit osculantem, id uisum ut ne uisum siet.

**Periplecomenes.** [...] Quem ad modum astitit, seuro fronte curans cogitans !

Pectus digitis pultat, cor credo euocaturust foras ;  
ecce auortit : nixus laeuo in femine habet laeuam manum,  
dextera digitis rationem computat, ferit femur  
dexterum. Ita uehementer icit : quod agat aegre suppetit.

Concrepuit digitis ; laborat : crebro commutat status.

Eccere autem capite nutat : non placet quod repperit.

Quidquid est, incoctum non expromet, bene coctum dabit.

Ecce autem aedificat : columnam mento suffigit suo.

[...] Euge, euscheme hercle astitit et dulice et comoedice ;  
numquam hodie quiescet prius quam id quod petit perfecerit.

Habet, opinor. Age si quid agis, uigila, ne somno stude,  
nisi quidem hic agitare mauis uarius uirgis uigilias.

Tibi ego dico. An heri adbibisti ? Heus te adloquor, Palaestrio.

Vigila inquam, expergiscere inquam, lucet hoc inquam. [...]

Viden hostis tibi adesse tuoque tergo obsidium ? Consule,  
arripe opem auxiliumque ad hanc rem : propere hoc, non placide decet.

[...] Reperi, comminiscere, cedo calidum consilium cito,  
quae hic sunt uisa ut uisa ne sint, facta infecta ne sient.

Plaute